

T77

Epistole I, 17

## Come trattare con i potenti

**Metro:**  
esametro

- 1 Quamvis, Scaeva, satis per te tibi consulis et scis,  
 quo tandem pacto deceat maioribus uti,  
 disce, docendus adhuc quae censem amiculus, ut si  
 caecus iter monstrare velit; tamen aspice, siquid  
 5 et nos, quod cures proprium fecisse, loquamur.  
 Si te grata quies et primam somnus in horam  
 delectat, si te pulvis strepitusque rotarum,  
 si laedit caupona, Ferentinum ire iubebo;  
 nam neque divitibus contingunt gaudia solis,  
 10 nec vixit male, qui natus moriensque fefellit.  
 Si prodesse tuis pauloque benignus ipsum  
 te tractare voles, accedes siccus ad unctum.  
 "Si pranderet holus patienter, regibus uti,  
 nollet Aristippus". "Si sciret regibus uti,  
 15 fastidiret holus qui me notat". Utrius horum  
 verba probes et facta, doce, vel iunior audi  
 cur sit Aristippi potior sententia. Namque  
 mordacem Cynicum sic eludebat, ut aiunt:  
 "Scurror ego ipse mihi, populo tu: rectius hoc et  
 20 splendidius multo est. Equus ut me portet, alat rex,  
 officium facio: tu poscis vilia, verum es  
 dante minor, quamvis fers te nullius egentem".  
 Omnis Aristippum decuit color et status et res,  
 temptantem maiora fere, praesentibus aequum,  
 25 contra, quem duplici panno patientia velat,  
 mirabor, vitae via si conversa decebit.  
 Alter purpureum non exspectabit amictum;  
 quidlibet induitus celeberrima per loca vadet  
 personamque feret, non inconcinnus utramque;  
 30 alter Miletii textam cane peius et angui  
 vitabit chlamydem, morietur frigore, si non  
 rettuleris pannum; refer et sine vivat ineptus.  
 Res gerere et captos ostendere civibus hostis  
 attingit solium Iovis et caelestia temptat:  
 35 principibus placuisse viris non ultima laus est.  
 Non cuivis homini contingit adire Corinthum.  
 Sedit qui timuit, ne non succederet: esto.  
 Quid? Qui pervenit, fecitne viriliter? Atqui  
 hic est aut nusquam, quod quaerimus. Hic onus horret,  
 40 ut parvis animis et parvo corpore maius;  
 hic subit et perfert. Aut virtus nomen inane est,  
 aut decus et pretium recte petit experiens vir.  
 Coram rege suo de paupertate tacentes

- plus poscente ferent; distat, sumasne prudenter  
**45** an rapias; atqui rerum caput hoc erat, hic fons.  
 “Indotata mihi soror est, paupercula mater,  
 et fundus nec vendibilis nec pascere firmus”,  
 qui dicit, clamat: “Victum date!”. Succinit alter:  
 “Et mihi!”; dividuo findetur munere quadra.
- 50** Sed tacitus pasci si posset corvus, haberet  
 plus dapis et rixae multo minus invidiaeque.  
 Brundisium comes aut Surrentum ductus amoenum  
 qui queritur salebras et acerbum frigus et imbris,  
 aut cistam effractam et subducta viatica plorat,
- 55** nota refert meretricis acumina, saepe catellam,  
 saepe periscelidem raptam sibi flentis, uti mox  
 nulla fides damnis verisque doloribus adsit.  
 Nec semel inrisus triviis attollere curat  
 fracto crure planum, licet illi plurima manet
- 60** lacrima, per sanctum iuratus dicat Osirim:  
 “Credite, non ludo; crudeles, tollite claudum!”.  
 “Quaere peregrinum!”, vicinia rauca reclamat.